

Illa spiritualia, hæc naturalia fortassis non incommodè dixeris. Vt autem illis, qui h̄ic Diabolica aut quaerunt, aut aliis obtrudunt. Nam diabolus, omnium spiritualium tenebrarum, stultiæ, malitiæq; fons, non sinit eos, qui diabolicos libros de industria legunt, in cœlesti sapientia proficere. Libris enim superstitionis & magicis, tanquam laqueis, lectors, cultoresq; suos in inequitia detinet, ne sapientiæ lux eis affulgere possit. Caveant ergo omnes sinceroris theologiae amatores, ne *Spiritus familiaris & olympicos*, quos quidam nequam venditant, sibi, vel mediante conjuratione adsciscant, vel conjuratos ab aliis emant, quorum ductu erudiantur ex pacto sive explicito, sive implicito. Sapientiam veram docere nequeunt, quoniam eam haud possident. Lux veræ sapientiæ tanta, tamque sublimis est, ut malorum spirituum castra non subeat. Ne impari jugo copulemuni cum infidelibus, quod enim consortium justitiae cum injustitia? Et que communio luci cum tenebris? Et que concordia Christo cum Belial? Cor. 6.14 15. Libris diabolicis jure annumeratur libri calumniarum & scommatum plenissimi & sycopiantiosè scripti, quorum hodie uberior seges est, quam muscarum in Armenia, cùm caletur maximè. Et plurimi hoc tempore sibi laudi ducunt, si in pios & doctos invehantur, eorumque scripta convitiis proscindant & petulanter carpant, etiam si ea neque perlegerint, neq; sensum eorum probè perceperint. Confer Thomam Campanellam lib. 4. de sensurorum cap 1..

II. Media DIVINA sunt, quæ omni naturæ & industrie humanae vi superiora, ad elevandam mentem, quæ in principium theologiae in suas partes historicè dislocatum invulet, & formandam Dei notionem ac cultionem divinitùs conceduntur.

III. Eaq; sunt vel primi ordinis, ut precatio & vitæ sanctimonia, vel secundi ordinis, ut ipsa naturæ dona.

Deus enim non tantum gratiæ, sed & naturæ auctor est, Gen. l. 1. & hanc per illam perficit & lapsam tollit & elevat.